

Alte Drucke

Liber Quartus Psalmorum, In Quo Grande illud de Redemptione totius Adami, rerumque omnium ejus gratiâ Restitutione, Mysterium, hactenus Mundo ...

Serrurier, Pierre

Amsterodami, 1668

Psalm. XCIV.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:obv:ha33-1-173812

Tuæ Domui, id est, Populo tuo, inter quos tu habitas, quique Nomen tuum invocant; vel Domui tuæ, seu Novæ Jerusalaïm, qui tunc temporis locus habitationis tuæ erit, verè conveniet omnis decor Sanctitatis; non pro pauxillo tempore, quemadmodum ad Templi primi ædificationem, quæ stetit Annis Quadringentis, vel ad erectionem Veri Cultus spiritualis per CHRISTUM in Secundo Templo, qui itidem duravit per Quadringentos Annos; 4 Esdr. vii. 28. sed pro semper, seu in longitudine dierum, sine ulla intermissione seu interruptione, usque dum, peractis peragendis, & subjugatis omnibus Inimicis, nec non & Morte ipsa, Regnum tradiderit Patri suo. 1 Cor. xv. 24.

Sic in hoc brevi Psalmo, & paucis verbis, contractam satis at solidam & vivam Expressionem seu representationem vidimus, gloriosi istius Regiminis, quod hac Magni Sabbathi die publicè in toto Mundo conspicietur; idque primò respectu ipsius Personæ Regis, qui tunc regnabit, nempe J. CHRISTUS benedictus, & in quo ipse Jehova Rex erit: utpote qui tunc, devictâ omni oppositione, verè gloria & fortitudine indutus apparebit, ad Mundi statum, undique, firmandum, & Domum Jehovæ in æternum usque Sanctitatis decore adornandum; atque omnes prædictiones & testimonia S. Scripturæ de hac re, consignata, adimplendum. Nunc in sequentibus hujus Magni Sabbathi Psalmis, invenimus particulariora hujus Regiminis Effecta aliqua, & primò quidem gloriæ & fortitudinis istius, quâ Regem hunc Indutum vidimus.

PSALM. XCIV.

Actia CANTICI de Magno Sabbatho Pars, in quâ Regni potissimum illa Præstantia notatur, quæ consistit in totali Inimicorum Regni extirpatione: estque velut Vox Electorum ad DEUM clamantium, & Tubâ clangentium.

A P O C. VI. 10.

Usque quò Domine, qui Sanctus es & verax, non judicas ac vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in Terrâ, &c.

1. **O** DEUS! ô soli cui competit ultio, JOVA,
Exere nunc vultus lumina clara tui!

2. O Index Mundi, nunc surge, & redde superbis,
Redde malis dignum supplicium Meritis.

3. Quò

3. *Quò tandem usque feres elato corde Malignos ?
Gaudentes vitiis flagitiisque suis ?*
4. *Effutire solent prœdura ac aspera verba,
Et tumidi cristas tollere in astra suas.*
5. *Gentem, JOVA, tuam spernunt, Terramque sacratam
Polluere immundis haud trepidant pedibus ;*
6. *Et Viduam mactant, Pupillos & Peregrinos
Crudeli perimunt cæde, sibi que placent,*
7. *Dicentes, Non est DEUS hæc qui cernere possit :
Non est qui nôrit Crimina nostra DEUS,*
8. *O vos Insipidos, brutosque ! An mente caretis ?
Et vacuâ semper mente manere lubet ?*
9. *Aures qui plantat, numquid non audiet ipse ?
Quique dedit Visum, nonne quoque is videat !*
10. *Lege suâ gentes carpens, nonne arguet ipse ?
Et qui scire facit, nonne quoque ipse sciat ?*
11. *O quàm vana hominum novit Meditata JEHOVA ;
Et quàm planè ipsi pectoris ima patent !*
12. *Is demum Felix dicendus, quem tua, JOVA,
Informârit Lex, argueritque Manus :*
13. *Ut tandem à Vitiis immunis redditus, ipse
Stet firmus, Pravos dum sua fata manent.*
14. *Non etenim Populumve suum Terramve relinquet
JOVA unquam, Pacti non memor ipse sui.*
15. *Et quamvis plectat, faciet tamen ipse reverti
Iudicium ad laudes Iustitiasque DEI.
Ut qui polluti fuerant animoque manûque,
Nunc puri evadant corde manûque simul.*
16. *Quis feret auxilium ? quis mecum stabit, ut hostem
Non metuam ? Quis me qui tueatur erit ?*
17. *Ni mihi subsidium Tu, mi DEUS alme, tulisses,
Iam fluxii Lethes me tenuisset aqua.*

18. *Si dixi, Motus mihi pes est: illicò sensi,
Quàm me fulciret dextra, JEHOVA, tua.*
19. *Si mihi Cor intus curis languebat oboritis,
Tu mihi solamen letitiamque dabas.*
20. *Quid Tibi, quid Soliove tuo, commune apud istos?
Qui mala continuo tramite cuncta creant?*
21. *Contra animam Iusti firmanz se Milite mulo,
Sanctorumque pio sepe cruore madent.*
22. *Est mihi JOVA arx est, DEUS est mihi Petra Salutis,
Non ego nutabo, sed mage stabo, DEO.*
23. *Is demum Pravis sua facta rependet iniqua,
Elatique nimis dejicientur humi,
Succidetque illos, velut herbam mesibus aptam,
Et Terram interea Miribus ipse dabit.*

Psalmo præcedenti vidimus Regem, gloriâ & fortitudine suâ relucens; hic verò Psalmus nobis ob oculos ponet illud Fortitudinis Effectum, quod consistet in extirpatione omnium suorum Inimicorum & Operariorum Iniquitatis; adeoque velut vocem nobis repræsentat Electorum istorum, de quibus mentionem facit Dominus JESUS, Luc. 18. qui, cum, inde à sanguine Abelis, nocte dièque clamare contra Injustos Mundi Usurpatores & immanes fraticidas, non cessaverint, nunc tandem, hanc Regis & Judicis diu expectati apparitionem percipientes, unanimiter in hanc vocem erumpunt. *Deus ultionum, Jehova, Deus ultionum, appare, &c.* Sed videamus singula Psalmi hujus Capita, quæ sunt:

- I. *Instantia pro Vindicta vel ultione, vers. 1, 2.*
 II. *Instantiæ istius ratio triplex, vers. 3, 4 --- 8.*
 III. *Quàm stultum sit, aliud opinari, vers. 8, 9 --- 12.*
 IV. *Quam Beatus ille sit, qui se in tempore erudiri sinit, & castigari, vers. 12, 13 --- 16.*
 V. *Quid homo, ita constitutus, loquitur & cogitat, vers. 16.*

Quod primum attinet, Instantiam nempe pro Vindicta seu ultione, id expressum habemus hisce verbis vers. 1, 2.

1. *Deus ultionum, Jehova, Deus ultionum appare.*
 2. *Eleva te Judex Terræ, redde retributionem superbis.*

In Psal. 92. (qui primus erat horum Sabbaticorum Psalmorum) inter alia Magnalia DEI, de quibus tunc temporis erit laudendus, & super quæ tantum inter pios, & voce & Instrumentis multifariis gaudium celebrabitur, primo loco mentionem fieri audivimus, de extirpandis Impiis & delendis omnibus Operariis

Ini-

Iniquitatis, vers. 8, 10. ideoque mirum videri nobis non debet, quod nunc, hoc Psalmo, *Electi* isti, qui tam diu vindictæ divinæ tempus & expectarunt & desiderarunt, exciti gloriâ & fortitudine, quâ Regem suum jam indutum, proximè præcedenti Psal. 93. conspexerant, illico in voces istas erumpant, *Deus ultionum Jehova, Deus ultionum appare, &c.* Nam antequam quis bonum Semen in agrum jaciât, sedulo de zizaniis & loliiis tollendis & extirpandis curam gerit; Et prius quàm quis Amicos seu Filios suos in Civitatem seu Provinciam (antè insensam & infectam) introducat, omnibus modis cavet, ne ibi Inimicorum quispiam vel noxii aliquid rezaneat: Ita & *Sancti*, cum videant jam *CHRISTUM* gloriâ & fortitudine sua accinctum, tempusque præstò esse, quo Zizania ex agro Mundi tolli debeat, ut bonum ejus loco Semen feratur, Justisque tandem aliquando tota hæreditario jure possidenda detur Terra, concordî animo omnes, de Zizaniis tollendis & Inimicis Regni extirpandis, adeoque & de ultione in Impios exercendâ, *DEUM* inclamant.

At dicet quis, Num *Sancti* & *Electi*, quales hic præsupponuntur, convenit, Vindictam petere & pro ultione apud Deum instare, prout hic fit? Nonne ultio, tam in Veteri quàm Novo Fœdere, omni homini interdita est?

Resp. Verum est, omnem privatam ultionem, quam quis ex proprio affectu contra proximum exercere præsumeret, tam in Veteri quàm N. Fœdere interdiktam esse: at non obstat hoc, quo minus, in causa quæ omnes in genere homines concernit, liceat apud DEUM instare, ut ipse, cui soli totus Mundus competit, suam, non nostram vindictam exercent, & juxta suam, non nostram, Sapientiam de Malo ultionem sumat, ut secundum DEI Promissâ sæpe repetita, Bonum in Mundo multa in Pace, plenariam tandem obtineat possessionem. Quam distinctionem Apostolus clarè innuit, quando dicit: *Ne vos-met ipsos ultiscamini, Dilecti, quin potius date locum iræ: Scriptum est enim: Mihi ultio, ego rependam, dicit Dominus*, ad Rom. xij. 19. Nihil enim heic prohibetur, nisi privata ultio & propriæ Iræ impetus: adeo ut hinc non liceat concludere, prohibitum esse hominibus petere & efflagitare, ut *DEUS* suo tempore, in omnem Iniquitatem Vindictam exercent: quin è contra, hoc ipso, quod Apostolus addit, *Scriptum est, mihi ultio, ego rependam*, nonne spem nobis facit, & desiderium in hoc tempus anhelandi excitat? & quodocunque ejus aliqua Indicia apparent, caput erigendi, & ex corde Psalmistæ acclamandi, *Deus ultionum, Jehova, Deus ultionum appare.* Audi, quid Sanctæ istæ Animæ (Apoc. vj.) sub Altari jacentes velint, quando clamant usque quò Domine, qui Sanctus es & verax, non judicas aut vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in Terra? Quid hoc aliud est, quàm id ipsum quod hoc Psalmo verbis haud absimilibus exprimitur, cum dicitur; *O Deus ultionum Jehova, Deus ultionum appare, Eleva te Judex terra, redde retributionem Superbis*, iis nempe, qui sua violentiâ & superbiâ nos tam diu oppresserunt, & sanguinem nostrum, velut aquam effuderunt & pedibus calcarunt? Sed quò melius æquitatem hujus Petitionis & instantis Clamoris pro vindictâ intelligamus, transeamus ad Secundum hujus Psalmi Caput, quod nobis Triplicem hujus Instantiæ rationem exhibet, vers. 3, 4, &c.

3. Usquequò Impii Jehova, usquequò Impii exultabunt. 4. Effutient, loquentur dura, extollent se omnes Operarii iniquitatis? 5. Populum tuum Jehova conterunt, & hæreditatem tuam affligunt. 6. Viduam & peregrinum interficiunt, & pupillos occidunt: 7. Et dixerunt, Non videt Jāb, neque intelligit Deus Jacob.

Æquitas igitur hujus instantis ad DEUM clamoris pro Vindictā & retributione Impiis reddendā, non solum in hoc consistit, quòd DEO, tanquam totius Terræ Judici, id competat, & quòd eum in finem CHRISTUS in Coelis referretur, ut suo tempore mittatur ad judicandum Populos in æquitate & Gentes in Veritate: sed & ob tres alias gravissimas causas heic clarè indigitatas. *Prima* fundatur in Insolentiā & Violentiā Impiorum. vers. 3, 4. *Secunda*, in acerbissimā Piorum, Viduarum, Peregrinorum & Orphanorum oppressione, vers. 5, 6. Et *Tertia* desumitur ab illorum qui Pios affligunt, audaci & fastuosa imaginatione & præsumptione, quā possidentur, vers. 7.

I. *Insolentia & Violentia Impiorum* in eo consistit, quòd exultent, mala quæque velut aquas effundant, seu effutiant quæcunque in mentem veniunt, loquantur dura & aspera, & insuper non verecundentur, de iniquè gestis & malè patris gloriari quoque: non secus ac describuntur Impii isti in Prophetiā illa Enochianā, adversus quos veniet aliquando Dominus cum Sanctis Millibus suis, ad redarguendum illos de factis omnibus quæ Impiè patraverunt, deque omnibus duris quæ loquuti fuerunt adversus ipsum, (nempe Dominum & Sanctos ejus) Jud. vers. 15.

II. *Oppressio acerbissima* quā afficiuntur Pii, in eo consistit, quòd Impii hi, populum DEI conterant & ejus hæreditatem affligant, viduas & peregrinos interficiant, & Orphanos occidant. vers. 5, 6.

III. *Vana & fastuosa illorum Imagination & falsa Præsumptio*, in eo relucet, quòd penes se, in corde suo, dicant: Dominus non videt, & Deus Jacob non intelligit. vers. 7.

Nunc Judica, quæso, annon justum & æquum sit, Imò, annon omnes Justitiæ & æquitatis amatores summè deceat, apud Dominum DEUM, velut Judicem totius Terræ, precibus instare, ut tandem aliquando illam insolentiam & violentiam Impiorum reprimat & coerceat; illam oppressionem Piorum semel cessare faciat; & falsam Imaginationem & vanam præsumptionem, penitus confutet & confundat? Quum autem hoc fieri non possit nili à DEO ipso, idque tum demum, quando secunda vice eum miserit, quem in hunc finem Judicem in totum terrarum orbem constituit. Act. xvij. 31. & per quem demum vindictam suam in Impios exercbit: Nonne æquum justumque est, ut Pii & Electi, qui se hac spe semper sustentarunt, illi, tanquam legitimo DEO, in occursum eant, & obnixè preesentur, ut tandem aliquando appareat? Vel, an magis deceret, illos in otio benè contentos residere, & non curare, domineturne Impius pro lubitu, nec ne; & præ gaudio exultet, effutiendo omne genus malitiæ, dura loquendo & in sua Injustitiā gloriando, nec ne? vel, an æquis oculis esset semper spectandum, quòd illi, qui deberent ipsi ad Contritionem converti, & sic ad DEUM, unde exciderunt, reverti; è contrā alios conterant, & quidem DEI populum, illos magis magisque opprimendo & hæreditatem ipsi debita usurpando, viduam & peregrinos interficiendo & Orphanos occidendo? Num præstaret, in falsa istā præsum-

sumptione eos relinquere, quasi Dominus facinora illorum non videret, & Deus Jacob non animadverteret quid in terris ageretur? Ego dico, quod Non prout idipsum confirmatur in Tercio hujus Psalmi Capite, quod his verbis exprimitur. vers. 8, 9, 10, 11.

8. *Intelligite stupidi in Populo: & fatui quando intelligetis?* 9. *An qui plantavit aurem, non audiet? an qui finxit Oculum; non videbit?* 10. *An qui corripit gentes, non arguet?* An qui docet hominem Scientiam, non cognoscat. 11. *Jehova cognoscit cogitationes hominum, quod sint vanitas.*

Hic Psalmista ab Oratione ad DEUM, quâ supplicationis & vindictæ-petitionis rationes exposuerit, ad ipsos Impios se convertit, qui sibi persuaserant, vel adhuc persuadebant aut imaginabantur, quasi DEUS eorum Acta & facinora non videret, adeoque pœnam de iis nullam esset exacturus, illos *Insipientes & Stultos* nominans, in quibus non esset intelligentia. Insipientiam illorum ipsis exprobrat & impingit, tribus quæ ipsis opponit & proponit Interrogatis! quæ hæc sint.

I. *An qui plantavit Aurem, non audiet?*

II. *An qui finxit Oculum, non videbit?*

III. *An qui corripit gentes, non arguet? & qui docet hominem Scientiam, non cognoscat ipse?*

Quasi diceret, An non DEUS qui homini dedit audire posse, quando eum quis compellat, ei conqueritur quid, aut clamat ad eum; ipse-met furdus esset, & audire non posset clamores & lamenta suorum Electorum, qui die ac nocte ad ipsum clamant? An non ille, qui nobis oculos formavit, quibus clarè & distinctè perspiciamus & discernimus quæ circa nos fiunt, ipse-met videret, & animadverteret opprobria & oppressiones, quas vos Viduis, Peregrinis & Orphanis infertis? Et annon ille qui Gentes corripit, hoc est scientiam docet, & in viis suis erudit; eos puniet qui correctionem ejus respuunt, & Doctrinam seu scientiam ejus non recipiunt? Id opinari, nonne *Insipientis* est & sana ratione carentis?

Stultitiæ postea eos arguit, quando dicit, Cogitationes eorum non solum vanas, sed ipsam etiam Vanitatem esse. Imo DEUS novit, inquit, hæc ita se habere, Quod scilicet *Cogitationes* מַחְשָׁבוֹ (veteris Adami, vel hominis in se considerata, & per se agentis,) non esse nisi Vanitatem. Unde Psalmista etiam arguit, non nisi fas & æquum esse, ut quicumque justitiam & sapientiam amet, & libenter videret ab humano genere omnem Insipientiam, stultitiam & vanitatem sublatam, continuè apud DEUM instet, ut tandem aliquando appareat, ad vindictam super omnem Iniquitatem exercendum: Ideoque sibi sedulo cavendum, ne in Insipientiâ & stultitiâ quis remaneat. Quo sermone ad Impios transacto, se iterum Psalmista ad DEUM convertens, ibique admirandam DEI Fidelitatem & salutem quam in fidelibus operatur, observans, deprædicat Beatitudinem eorum qui recipiunt correctionem Domini, & se erudiri sinunt; quod Quartum Caput est hujus Psalmi, his verbis expressum, vers. 12, 13, 14, 15.

12. *Beatus vir quem erudieris Jah & legem tuam docueris.* 13. *Ut quietem præstes*

ei à diebus malis, donec fodiatnr impio fovea. 14. Quia non derelinquet Jehova populum suum, & hæreditatem suam non derelinquet. 15. Nam tandem usque ad iustitiam revertetur iudicium, & post illam omnes recti corde.

Prout suprà Psalmista notaverat, quod hominis Cogitationes omnes mera essent Vanitas; ita nunc, ad DEUM conversus, eumque contemplatus, econtrà notat, quàm admirandæ & Homini salutares sint DEI erga eum Cogitationes; etiam quando hominem, lege sua corripit & erudit; dicens: *Beatus vir quem erudieris Jah, & legem tuam docueris.* Ut scilicet quietem præstet ei à diebus malis, donec fodiatnr impio fovea. Ecce, ibi vides, quid Dominus sua Correptione & eruditione per legem præstitâ intendit, nempe ut homini, etiam in maximis turbis Quietem præstet: hoc est, Pacem & interiorem in animâ consolationem, quamcunque externè afflictionem aut dolorem subire deberet; usque dum tempus veniat, quo *Impio fovea fodiatnr*, hoc est, usque dum plena sit mensura Iniquitatis ejus, & dies Vindictæ Divinæ apparuerit. Nam non derelinquet Jehova, inquit Psalmista, *Populum suum.* Corripiet & castigabit quidem eos quemadmodum Pater Filium suum, quem diligit, castigat; Et peccatis transgressionibusque eorum non parcit, sed eapropter eos castigat & punit ad tempus; attamen, quia Populus ejus sunt, & hæreditas ejus, non derelinquet eos in totum, & perditioni tradet: At quid tum? quærat quis: *Faciet nempe ut Judaicum*, seu Correctio illa quam subit, revertatur ad *Iustitiam*, hoc est, rem ita diriget & moderabitur, ut tranquillur fructus *Iustitiæ* inde proveniat, juxta Doctrinam Apostoli, quando de Castigatione Domini dicit, quod quamvis *pro tempore non videatur gaudii, sed tristitiæ*, illam tamen postea tranquillum fructum *Iustitiæ* reddere iis qui per eam fuerint exercitati, Hebr. xij. 11. Et quod plus est, idem Apostolus, expressurus Castigationis Divinæ utilitatem, dicit illam fieri, *ut per eam participes simus Sanctorum ipsius.* Ibid. vers. 10. Et hoc illud est, quod Psalmista heic intelligit, quando addit: quod *postea* (hoc est, post finitam *Iustitiæ* administrationem, cum jam ad *Iustitiam* reversum erit) *Omnes erunt recti corde*, utpote igne iudicii expurgati & ab omni Iniquitate emundati. Et hoc illud est quod spectabat Propheta, Esa. 42. 3. & cui alludit Euangelista, quando de CHRISTO loquendo, *Eum* dicit *arundinem quassatum non contritum, nec linum fumigans extinguiturum*, usque dum proferat ad *Victoriam* *Iudicium*: Textus Originalis & Septuaginta Interpretes habent ad *Veritatem*, hic habemus ad *Iustitiam*. Eodem redeunt omnia. Sensus hic est: Ubique DEI Iudicium super aliquem venit, ibi operatur, usque dum peccatum vel iniustitiam, vel falsitatem prorsus devicerit, & loco iniustitiæ prævaleat *Iustitia*, & loco falsitatis substituat *Veritas*: sive igitur *Victoriam* dicam, sive *Veritatem*, sive *Iustitiam*, eodem recidit. Debere autem hoc Dictum illo sensu sumi, manifestò liquet ex iis, quæ in Prophetæ Textu Esa. 42. 4. statim subjunguntur, cum dicit: *Non remissus erit, nec frangetur animo, donec ponat in Terra Iudicium & legem ejus Insulares expectabunt.* En, ibi habes denud idem verbum *VERUM* sive *Iudicium*, quod heic reversum dicitur ad *Iustitiam* apud omnes qui se à lege corripit & erudiri sinunt. Porro, quemadmodum hoc in Fidelibus primùm adimpletur in hoc sæculo, ita veniet quoque tempus, quo idem Iudicium eundem effectum per totum

totum terrarum Orbem sit fortitutum : aded ut etiam *Insula Dominum sint expectatura*, seque à lege ejus erudiendas sint traditurae; donec etiam Judicium in ipsis revertatur ad Justitiam & Veritatem, hoc est Victoriā reportet.

Quantum hujus Psalmi Caput continetur, vers. 16, 17, &c.

16. *Quis consurget pro me contra Malignantes? Quis stabit pro me contra Operarios iniquos?* 17. *Nisi Jehova auxilio fuisset mihi, brevi in silentio habitasset anima mea.* 18. *Si dicebam, Motus est pes meus; misericordia Jehovae sustentavit me.* 19. *In multitudine cogitationum mearum in intimo meo, consolationes tuae latificarunt animam meam.* 20. *Numquid sociabitur tibi Thronus perversitatum, creans iniquitatem in praecepto?* 21. *Congregant exercitum contra animam Justi & sanguinem innocentem condemnant.* 22. *At Jehova factus mihi pro arce, & Deus meus in petram fiducia mea.* 23. *Et reddet eis iniquitatem eorum, & malo ipsorum succidet eos, succidet eos, inquam, Jehova, Deus noster.*

Hic nunc describitur, Quomodo se habeat homo ille, qui se à lege corripi & erudiri finit, & eatenus *Beatus* nuncupatur; quomodo etiam in hac vitā, imò & in diebus malis, affectus sit, quid dicat, & quid cogitet.

Et 1. quidem exprimitur heic, Quā Spiritu pauper & humilis sit in se-ipso, non fidens propriis viribus, sed continuò auxilium & opem desuper expectans ut in virtute seu potentiā DEI, contra omne Malum & Operarios Iniquitatis, omnes conservetur & dirigatur; quando introducitur dicens, *Quis consurget pro me contra Malignantes? Quis stabit pro me contra Operarios iniquitatis?*

2. Exprimitur quoque hic intima ejus gratitudo & sedula Observantia & aestimatio Gratiae, quā jam fruitus erat, cum introducitur dicens, *Nisi Jehova auxilio fuisset mihi, brevi in silentio habitasset anima mea.* **רומה** Quod heic silentium vertitur, significat illum Mortuorum statum, seu Inferni commorationem, ubi altum Silentium obtinet, quocirca & Psalmista de Mortuis loquens, dicit, *Eos non laudare Deum, nec omnes descendentes in Silentium.* Hieronymus, in *Infernum*. Psal. 115. 17. Nec non & Romani, defunctas animas vocarunt *Silentes*. Virg. *Rex ipse Silentium*, id est Pluto, qui Ethnicis dominari in Animas Defunctorum putabatur.

3. Exprimitur quoque hic ingenua & cordata Confessio suarum titubationum & multifararum quae ipsum gravabant cogitationum; & simul quoque DEI ipsum sustentantis & consolantis Misericordiae; idque his verbis, ubi dicit: *Motus est pes meus; sed Misericordia tua, Jehova, sustentavit me. In multitudine cogitationum mearum in intimo meo Consolationes tuae latificarunt animam meam.* vers. 18, 19.

En, ibi audivisti quid Beatus iste penes seipsum, in intimo pectoris scrinio loquatur & cogitet: Nunc quoque videamus, quam sibi inde *Conclusionem* faciat, & quam *Spem* inde formet sibi. Ejus *Conclusio* haec est, vers. 20. *Numquid sociabitur tibi Thronus perversitatum, creans iniquitatem in praecepto?* Scilicet possibile non est, ut tam contraria inter se socientur; Thronus Misericordiae, omnia corrigentis & restituentis, & Thronus perversitatum, qui pervertit & corrumpit omnia; Regimen quod non nisi aequitatem creat in Praecepto, & Regimen quod est iniquitatem creans in praecepto; Ideoque si Thronus Misericordiae

cordiæ erit erigendus, oportet Thronus perversitatum tollatur à Terra; & si quando Regimen creans æquitatem in præcepto obtinere debeat, oportet Regimen creans iniquitatem in præcepto, totum aboleatur. Deinde, ut clarius adhuc suæ Conclusionis veritas pateret, opponit Impiorum erga pios & innocentes praxin cum praxi illa Jehovæ, quæ se *petram fiduciæ* piis semper præbet; quando subdit: *Isti congregant exercitum contra animam Iustorum & sanguinem innocentem condemnant.* vers. 21. Ubi e contra, *Jehova factus mihi*, & aliis similiter Iustis quibuscunque *pro Arce, & in petram fiduciæ*, vers. 22.

Firma quam inde *Spem* format, est, quod Dominus DEUS, Iniquitatem ipsorum in se-ipsos reverti faciet, & malo ipsorum eos succidet, & ab ulterius operando restringet, vers. 23. *Eos inquam Jehova Deus יצמיתם constringet*, adeò ut Iniquitatem suam non amplius in actum producere valeant. Ita malum verbum hoc, tam heic quàm Psal. 54. vers. 7. sumere, ne etiam hoc Judicium videatur inferre abolitionem, vel annihilationem Creaturæ DEI, sed potius Medium aliquod ad Justitiam revertendi, quemadmodum suprà vers. 15. id testatum vidimus, de priore, quod Israëlì supervenit, Judicio.

PSALM. XCV.

SEU

Quarta CANTICI de Magno Sabbatho Pars, quæ itidem Electorum quædam Vox, seu Tuba secunda est, ex felici illo statu, post excisos Regni Inimicos, inter Fratres seu Consortes Regni, clangens.

1. **E**ia alacres cuncti JOVÆ celebremus honores,
Letaque cantemus jubila corde pio.
2. Eja, alacres rapiamus iter, mora segnis abesto!
Laudibus & Cantu præveniamus Eum.
3. Magnus enim Dominus DEUS est, Rex Magnus & Orbis
Totius longè Regibus eximior.
4. Ille manu fulcit vastæ penetrabilia Terræ,
Et firmat Montes robore quosque suo.
5. Ille vagum fecit, factumque attemperat Aëquor,
Nec non & Siccum fecit is ipse sibi.

Eja